



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

5 Roma caput omnium orbis ecclesiarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

omnium totius Christiani orbis regularium ordinum, religionum, & institutorum, quibus confraternitates secularium erigendæ, & instituendi facultas concessa est, & Archiconfraternitatum, & congregationum quarumcumque, quibus alias confraternitates, & congregationes instituendi, erigendi, & sibi aggregandi, illisque privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta prædicta largiendi, & communicandi potestas à Romanis Pontificibus, & Apostolica Sede attributa fuit, magistri,

2 Piores & Officiales, seu Superiores † quovis modo nuncupati regularium siquidem Ordinum religionum, & institutorum unam tantum confraternitatem, & congregationem de consensu tamen Ordinarij loci, & cum litteris ejus testimonialibus, quibus confraternitatis, & congregationis erigendæ, & instituendæ pietas apud eos commendetur in eorum, & in quibuscumque aliis ecclesiis erigere, & instituere,

3 † cæterarum verò Archiconfraternitatum & congregationum dumtaxat, quæ Apostolica, vel Ordinaria auctoritate prius erecta, ac nulli alteri Ordini, religioni, & congregationi aggregata sit, † prævio similiter loci Ordinarij consensu, & cum ejus litteris testimonialibus, quibus aggregandæ confraternitatis, & congregationis pietas, & officia charitatis apud eos commendetur, sibi adjungere, & aggregare possunt, ut in litteris ejusdem Clem. VIII. sub die septimo Decembris anni. 1604. expeditis, & deinde de more in Vrbe publicatis, §. nos pro commisso: Quæ publicatio Romæ facta sufficit, & omnes afficit, ac, si in omnibus Christiani orbis Provinciis, & civitatibus facta fuisset, † Roma enim est om-

nium orbis ecclesiarum parens, & caput Capel. Tolos. in decis. 445. n. 2. Gomel. in proem. Reg. Cancellar. num. 13. & Azor. lib. 5. institut. moral. cap. 3. vers. secunda opinio.

Tunc enim fit, ut quæ pietatis, & devotionis zelo à Sede Apostolica concessa sunt, contrarium quandoque pariant effectum, cautius est gliscenti modo opportunè mederi, quàm permittere, ut paucorum incuria animarum multitudo pravus moribus inficiatur, aut in aliqua contracta labe sordescat.

6 Quia † privilegium, cum incipit esse nocivum, cessat vel saltem debet revocari, ut post Abb. in cons. 35. num. 3. par. 2. quem citat tenet Card. Tuse. pract. concl. tom. 6. conclus. 733. numer. 21. & abutens privilegio sibi concessio, perdit privilegium, l. iudæos, C. de iudæ, cap. privilegium, 11. quest. 3. ubi gloss. plenè not. l. qui sine de neg. gest. l. libera, ff. de pecul. Cardin. Tusc. eod. tom. conclus. 754. nu. 1.

7 Vicina etiam sunt ferè † vitia virtutibus, nec veritate, sed, quadam specie fallente, similia, D. Augustinus contra Iulian. lib. 4. cap. 3. nec vitium ullum præsentius venenum habet, quàm, quòd sub virtutis, vel pietatis titulo, venditur.

8 Hanc ob causam, † etiam successores prædecessorum instituta alioqui bona, & pietatem ipsam præ se ferentia, cum postea perniciofa, & contra piam optimamque Pontificum mentem exerceri conspexerint, statim, vel abrogare, vel immutare solent, & debent, c. 1. §. his ita respondetur, 35. qu. 1. §. quia sancta §. verum, quia in fin. & ibi gloss. in ver. destruantur, 63. distict. suggestum, & ibi Innoc. in fin. & Abb. num. 3. de decim.